

# Die Urkunden Karls des Großen, 81

Carolus gratia dei rex Francorum et Longobardorum atque patricius Romanorum. Si enim ex his, que divina pietas nobis affluenter tribuit, pro opportunitate servorum dei locis venerabilibus concedimus, hoc nobis ad mercedis augmentum vel stabilitatem regni nostri pertinere confidimus. Quapropter notum sit omnium fidelium nostrorum magnitudini, qualiter nos et coniux nostra Hildegardis regina ob amorem dei et nostre commune mercedis augmentum donamus ad sacrosanctam ecclesiam beatissimi confessoris sancti Martin et patroni nostri Turonice civitatis constructam, ubi ipse preciosus dominus corpore requiescit et vir venerabilis Gulfardus abba preesse videtur, donatumque in perpetuum ad eundem sanctum locum vel eiusdem congregationi causa vestimentorum esse volumus, hoc est insula cum castello Sermionense, que est sita in lacu Minciade, cum omnibus finibus et eius terminis, sicut in publico et ad palatium visum est pertinuisse et inantea intro fisco nostro ceciderit, tam infra ipso termino quam et a foris ibidem in integrum pertinentia, id est curtis aecclisiis villis mansis mancipiis massariis aedificiis vineis olivetis campis silvis pratis pascuis aquis aquarumve decursibus mobilibus et immobilibus, omnia et ex omnibus, etiam et monasteriolo illo infra ipso castro, quem Ansa novo opere construxit, quod est in honore sancti Salvatoris, cum omni eius soliditate. Donamus etiam ad prefatum sanctum locum vallem illam que vocatur Camonia cum salto Candino vel usque in Dalanias cum montibus et alpiibus a fine Treentina qui vocatur Thonale usque in finem Brixamcinse seu in giro Bergamasci, quicquid infra ipsos fines vel ab ipsa valle a longo tempore et modo aspiceri vel pertinere videtur, sicut in publico et ad palatium visa est reddidisse aut inantea infra fisco nostro ceciderit, simili modo cum integritate, sicut de termino Sermioninse conscripsimus, ita et ista omnia tradidimus. Insuper adiungimu ad prefatum sanctum locum sinadochium illum inter Padum et Ticinum, quod est in honore sancte Marie constructum prope Papiam civitatem in locum Waham, cum villa Solario vel omnibus appenditiis eorum et casella una infra Papiam, id est una cum terris domibus ecclesiis edificiiis accolabus mancipiis massariis vineis silvis campis pratis pascuis aquis aquarumve decursibus mobilibus et immobilibus, omnia et ex omnibus. Hec vero omnia superius denominata cum terminis et finibus vel appenditiis suis a die presente in perpetuum ad prefatam basilicam sancti Martini vel eius rectores concessimus atque plenissima voluntate indulimus. Propterea hanc preceptionem auctoritatis nostre conscribere iussimus, ut ea que supradicta sunt pars memorate basilice sancti Martini eiusque rectores ab hac die habeant, teneant atque possideant et ad ipsam casam dei pro mercedis nostrae elemosina in augmentis proficiat, ut nullus ex iudiciaria potestate aut qualibet persona memorato Gulfardo abbati suisque successoribus aut agentes de supradictis rebus inquietare aut contra rationis ordinem vel calumniam generare quoque tempore presumat, sed hoc nostrae auctoritatis donum iure ibi permaneat firmissimo. Et ut hec auctoritas firmior habeatur vel nostris et futuris temporibus melius conservetur, manu propria subter eam decrevimus roborare.

Signum Karoli (M.) gloriosissimi regis.

Hitherius recognovit.

Data XVII kal. augusti anno VI et primo regni nostri; actum Papia civitate; in dei nomine feliciter amen.